



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Ignatii Loiolae, Qui religionem Clericorum Societatis Iesv instituit

Ribadeneyra, Pedro de

Coloniæ Agrippinæ, 1602

Ignatius obdormit in Domino ann. 1556. pri. Kal. Aug. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45323

IGNATIVS OB DORMIT IN
Domino.

CAPVT XVI.

Hic erat Societatis status, cum Ignatius annis grauis, morbis sepe vexatus, perturbatione temporū, & nouis Ecclesiæ calamitatibus mœrens, euolandi ad Christum desiderio languens, petere à Domino vehementius cœpit, vt educeret de custodia animam suam, ad confitendum nomini eius. Nam etsi corporis infirmitatem, animi robore sustentabat, & magna patientia, constantiaque, peregrinationis suæ molestias perferbat: tam incenso tamen Deum videndi, & eo fruendi tenebatur desiderio, vt de sua migratione (vt supra demonstrauimus) non posset, præ gaudio, sine lacrymis cogitare. Cùm autē in Vrbe castra essent, & propter bellum, quod gerebatur inter Paulū III. Pont. Max. & Hispaniarum Regem Philippum, armorum strepitus exaudirentur, & tumultu ac trepidatione plena essent omnia, in vineam secessit paulò remotiorem, vbi absque interpellatione, tantum malum liberius deficeret. Ibi cæli grauitate, caloribus maximis,

ximis, solito cœpit habere deterius: cognouitque velocem fore tabernaculi sui depositionem. Paucis certè antè mensibus ad Leonoram Mascarenam ipsemet Ignatius epistolam scripsit, in qua illud erat: Hæc est postrema epistola quã ad te scribam, rogabo Dominũ pro te in cælo breui (vt spero) ardētius. Ex vinea domũ reuertitur, quo ipso tẽpore multi ex nostris ægrotabant grauius. Ignatius igitur, cum nudiustertius sacratissimũ Christi corpus antea suscepisset, ac nihil inesse periculi suspicarentur medici, 3. Kalend. Augusti, hora à meridie tertia, Ioanni Polanco (quo in omni genere, vel scribendarum literarum, vel negotiorum, nouem annos fuerat vsus) ad se vocato, ac nihil minus suspicanti, solus soli, maxima animi tranquillitate, instare ex hac vita ait suæ migrationis diem. Ei mandat, vti Pontificem Max. conueniat: benedictionem ab ipso, & peccatorum indulgentiam petat, qua confirmator ex hac vita, lætiorque discedat. Se, si vt sperat, Domini misericordia, in montem sanctum eius venerit, non commissurum, vt eam curam Deum pro Pontifice deprecãdi intermitat, quam in carne positus, & de se ipso solli-

sollicitus, diligenter sancteque coluerit. Benedictionem suam libentissimè imperitus est Pontifex, cum magna amoris ac doloris significatione. Sed quòd neq; morbus grauis videbatur, neque vllum acciti medici nuntiabant vitæ periculum, ipse autem Pater de sua consuetudine nihil immutauerat, & familiariter de negotio quodam conficiendo ea ipsa nocte cum nostris egerat (quanquam Ignatij verba ipsos habebant sollicitos) vt consultius tamen aliquid facerent, posterum diem Patres expectare constituunt. Qui vbi illuxit, suauissimè illum animam agentem offendunt: accurrunt, iusculum porrigunt, negat sumendi tempus esse, & manibus iunctis, oculis in cælum defixis, Iesum corde, Iesum ore implorans, placido vultu sanctissimè migravit ad Dominum pridie Kalendas Augusti, 1556. hora post solis ortum prima. Vir verè humilis, qui cùm obitum suum præsciret, neque Vicarium generalem creare, neque filios suos accersere, neque monere, neque hortari voluit, neque benedicere: vt illi spes omnes suas in Deo constitutas haberent, ab illo penderent, ipsum nihil fuisse, nihil esse arbitrarentur.

Quod quamuis pugnare videatur cum quorundam aliarum Religionum Fundatorum factis, qui sub mortem filios suos ad se vocarunt, & ad omne genus virtutis cohortati sunt: haud tamen pugnat cum Spiritu diuino, qui illos ad eiusmodi exempla edenda permouit. Diuersa ergo ac dissimilia sanctorum gesta, non aduersa atque contraria inter se sunt. Deus enim qui illos instinctu suo incitauit, ut charitatis suae affectum erga filios suos demonstrarent, idem afflatu etiam suo Ignatium impulit, ut humilitatis studio paternum affectum silentio premeret: ut in illis magis charitas, in Ignatio humilitas magis eluceret. Cuius tamen mortui, vel verè potius uiuentis patrocinium, filij eius omnes senserunt. Nam eius ex obitu, suauissimus quidam in uniuersa Societate doloris sensus est consecutus, lacrymae cum laetitia, desiderium spei plenum, vigor spiritus passim excitatus: sic ut omnes ubique laborandi pro Christo, patiendique grauias & difficilia, nouo quodam desiderio ardere viderentur. Vir etiam (quod facile iudicari possit) Dei munere, ac prouidentia, ijs temporibus datus Ecclesiae, ad resistendum conatibus haereticorum.

eorum . Itaque eo ipso tempore, quo
 Lutherus per summum scelus ab Sedis
 Apostolicæ obedientia desciuit, & fu-
 nestum Catholicæ Ecclesiæ bellum
 indixit. Dominus noster (vt suprâ de-
 monstratum est) fortissimum hunc du-
 cem excitauit, atque nefarijs eius co-
 natibus opposuit: vt exercitum per v-
 niuersum orbem terrarum conscribe-
 ret, atque eos milites cogeret, qui no-
 uo ac salutari voto summi Pontificis
 obedientiæ se obstringerent, & vita at-
 que doctrina Lutheranorum impetus
 propulsarent. Nam illi quidem pœni-
 tentiam oppugnant, Sauctorum inuo-
 cationem è medio tollunt, sacrosan-
 cta Ecclesiæ Sacramenta subuertunt,
 delent imagines Sanctorum, reliquias
 illorum & beatissima ossa desijciunt
 ac persequuntur, euertunt templa, in-
 dulgentias peccatorum irrident, fide-
 lium animas, quæ igne purgatorio ex-
 piantur, piorum suffragijs priuant, de-
 nique quasi furia quædam cælum ter-
 ræ miscent, & quantum in eis est, iusti-
 tiam, pacem, Christianam omnem re-
 ligionem extinctam cupiunt. Ignati-
 us verò eiusque filijis omninò con-
 traria, dictis, factis perseueranter do-
 cēt: hortaturq; omnes ad dignos pœ-
 nitentia-

*Lib. 2.
c. 18.*

nitentiæ fructus, ad orationem, ac re-
rum diuinarum iugem meditationē,
ad pium frequentemque Sacramen-
torum vsum, ad honorem sanctorum
imaginibus, ac reliquijs habendum, &
tum se ipsos, tum alios iuandos con-
donationibus peccatorum ac indul-
gentijs, quæ ex locupletissimo meri-
torum Iesu Christi D. N. & Sanctorum
thesauro in Ecclesia recondito, per
eius Vicarium dispensantur. Denique
omnia eius consilia & studia, vel ad
conseruandam, vel ad reuocandam
per se & suos fidei Catholicæ sinceri-
tatem spectasse, compertum est. Eius
corpus Kalend. Augusti, in templo no-
stro, ad dexteram aræ maxime humili-
tumulo cōditum est. Mortuus est æta-
tis suæ anno 65. post conuersionem
verò suam 35. Quod omne tempus in
summa paupertate traduxit: in pœni-
tentijs, peregrinatione, studijs litera-
rum, persecutionibus, carcere, vincu-
lis, laboribus maximis, quos pro Chri-
sti amore, & animi excellenti virtute
suscepit, & admirabili constantia per-
uicit: Societatis verò à Sede Apostoli-
ca confirmatæ, anno 16. quâ toto pro-
pmodum terrarum orbe propagatâ
vidit. Duodecim prouincias constitu-
tas.

tas reliquit, Lusitaniæ, Castellæ, Bati-
cæ, Aragoniæ, Italiæ, Neapolis, Sicilię,
Germaniæ tum superioris, tum infe-
rioris, Gallię, Brasiliæ, & Indiæ quę ad
Oriëntem est: in ijs nostrorum vel Col-
legia, vel domicilia fere centum.

*DE IGNATIO VIRI GRA-
uissimi quid senserint.*

CAPVT XVII.

Quo tempore Ignatius sanctissi-
mè migravit è vita, Iacobus Lai-
nes æger Romæ sic erat, vt de e-
ius vita medici diffiderent. Mortuo i-
gitur Ignatio, ingressi sunt Iacobi cu-
biculum ex primis Patribus aliqui, vt
illum inuiserent, & Ignatij obitum ce-
larent, ne ex eo videlicet grauiori ali-
qua mœstitia amantissimus filius affi-
ceretur. Ex vultu tamen (qui index est
animi) facilè Iacobus cõiecit, quod Pa-
tres illi occultabãt. Itaq; ad eos cõuer-
sus: Est ne mortuus (inquit) sanctus Pa-
ter? est ne mortuus? Vbi mortuum au-
diuit, sublatis illico manibus, oculos
in celum coniecit, & se Ignatio arden-
tissimè cõmendauit. Et simul: Te Pater
ęternę (inquit) supplex ego, humilis, at
que.